QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 10. Januarij.

M. NICOLAO RAVEAU

DOCTORE MEDICO, Præside.

Eſt-ne Hippocratis Phyſiologia Medico ſatis.

I.

SI quæris quænam ſit Hippocratis Phyſiologia, unus te docebit ejus interpres omnium optimus: neque tamen ab eo expectari velim, ut hæc omnis proponatur Medicinæ pars, quæ tot Medicorum ſtudiis difficultatibuſque amplificata, dicam an obſcurata nunc vulgo extenditur ad calòrem nativum explicandum? Corporis humores, partes, facultates, ac functiones: neque in ſolâ temperamentorum ex elementis cognitione acquieſcit. Divinus quidem ſenex tam brevitatis cultor, quam omnis Medicinæ parens multa tot documentorum capita paucis verbis aperuit, aperta poſteris reliquit perſequenda: nimirum eô potiſſimum mentem, rationemque intendens, ut qui ſervandâ hominis vàletudine naturæ miniſter, adjutor, imitator, ſeu medicus futurus erat, is naturam morborum curatricem declararet ſitam eſſe in legitimâ corporis humani temperie ex igne, aëre, aquâ, terrâ velut elementis conflatâ, quæ à ſe inventa toti rerum univerſitati apparavit, & Medicinæ neceſſitati ſubjecit: ad id omne frigoris, humiditatiſve moderatione reſtituendum, continendum, quod caloris, ſiccitatiſve exceſſu ſanitatis limites ſuperaret. Qui vero medici hanc veterem naturæ deſcribendæ formam vetuſtiore quâdam, aut magis novâ Philoſophiâ poſteriorem ducunt pro junone nubem amplectuntur, neque ſuam ſtationem minus deſerunt, quam Hippocratis Phyſiologiam.

II.

VULGARIA elementa corpora sunt simplicia, omnium prima & ultima, calore, frigore, humiditate, siccitate, quæ tactûs judicio primæ dicuntur, qualitatibus maxime prædita, uno verbo elementa, non principia. De utrisvis autem nemo acrius contendet, nisi indutâ Physici contemplatoris personâ, artificem Medicum pene exuerit. Quam enim utilitatem ad medendum percipiet ex animæ aut aliorum principiorum notitiâ tot disputationibus obnoxiâ? Imo quantum Medicinæ interest hominis generationem juvare, interitum arcere, valetudini prospicere, tantum ab ejus officio aliena videbitur aut ea pervicacia, quæ jamdudum corporum fundamenta extruebat ex sulphure, mercurio, sale; aut ea diligentia, quâ nunc crambe recoquitur Democriteæ parum dissimilis, quasi atomorum veluti figuris & concursione gigneremur, solâ earum secretione interiremus, atque mutato earumdem situ absque ullâ caloris, frigoris, siccitatis, humiditatisque actione mutaremur ad tot vivendi & valendi modos. Quin potius hæc diversa humanæ constitutionis discrimina pendent non à corpusculorum æternorum, & numero infinitorum appositione, confusione, sed ab ignis, aëris, aquæ, terræ per minimas partes mixtione, quam mutua qualitatum eis insitarum inter se pugna præcedit, ac deinceps destruit, temperata concordia diutius fovet, ac tuetur. Saltem vetus sapientia rerum σύγκρισιν ϗ διάκρισιν satis explosit, & quæ utrisque adhæret πανσπερμίαν, ut nec à novitate ullum eis autoritatis pondus accedat, nec à nobis ulla faventior consensio ad medendum.

III.

QUEMADMODUM curatio Philosophia quædam est quæ morbi causam Medico certissime explicat, ita & corporum quibus constamus naturam: neque enim Medicus, ut solet quotidie, ad debitam sanitati temperiem contrariis qualitatibus revocabit corpus nimio calore flagrans, frigore rigens, siccitate durum, humiditate diffluens, nisi hoc artis beneficio primam hominis structuram reparaverit morbo violatam. Ut ut veteres quæ hodie interpolantur atomi, aut paracelsica somnia cum hac agendi virtute minime consentirent, est quidem humana salus vaná quâvis disputatione potior. Verum non adeo forte dissentient, si communes elementorum qualitates considerantur nunquam ab eorum corporibus sejunctæ, calor ab igne, & aëre; frigus à terrâ, & aquâ; siccitas iterum ab igne, & terrâ; humiditas quoque ab aëre, & aquâ. Quamobrem suus erit unicuique mixto modus substantiæ ex tot eorum particulis

& attritis, & variâ alteratione permixtis, quæ ſeu figuris, ſeu motu, ſeu aliâ quâcumque ratione qualitatum diſcrepent; quorſum Hippocratis Phyſiologia, & mixtionis opus è medio tolletur? Tum præſertim ſi amarum, acidum, dulce, ſalſum non ex aliis formentur elementis; ſi deinde figuræ neque vulgarium particulas dedecere poſſint, neque materiæ motus à primo naturæ autore ſapientius deducatur, quam ab igne omnium maxime mobili, & actuoſo. Porro ſecundæ elementorum vires gravitas, levitas; raritas, denſitas; craſſities, tenuitas, & cæteræ cum primis conjunctæ tam explicatu difficiles, quoquomodo definiantur, Medicorum animis pariter exponent tot colorum, odorum, ſaporum rerumque myſteria; & ad manûs tradent tot medendi auxilia, quot occultis qualitatibus magis occuluntur.

IV.

MEDICO vix unquam eſt ſatis pro auctoritate canities ſed plerumque pro ratione ſenſus ad ægrorum utilitatem, quam ad rerum veritatem fere intentior. Quia nec facile ei fuit, nec neceſſe materiam aſſequi elementis noſtris priorem origine, & naturâ: communem ex igne, aëre, aquâ, terrâ ſingulis rebus ſubſtravit quâ ſubtilem, quâ craſſiorem, recentioribus quidem ſatis ad ſua cujuſque corporis primordia; ſatis quoque chymicis ad ſuum ſulphur, mercurium, ſalem; ſatis denique nobiſmetipſis qui veluti elementa amplectimur bilem, ſanguinem, pituitam, melancholicum ſuccum. Modo enim bonâ fide medeamur, hæc omnia ad Hippocraticam recident Phyſiologiam, dum quæ remedia bilem ſuâ frigiditate temperabunt, ea quoque ſulphureas, igneaſve corporis faces extinguent, & ſcobis cujuſque ſubtilitatem intricabunt: quæ deinde craſſiorem materiam expedient, agentque, ea melancholicam, & terrenam fæcem diluent, & tartareum ſalem. Dubitaſne præterea, utrum hæc medicamenta nos aliquâ qualitatis ſimilitudine affectura ſint, utrum aliquo particularum quibus conſtant interno motu? Attamen ſeu calorem, ac humiditatem diversâ partium agitatione, ſeu frigus & ſiccitatem earumdem quiete, ac implicatione definias, quid tum inde? Niſi quod vini calor quos accendet ſpiritûs, agitabit; lactucæ frigus, quos refrigerabit, eoſdem compinget, & figet: neque aliter in explicandis aliorum ſenſuum officiis præcepta cuduntur vix uſitatis meliora, aut nova nomina eduntur, ut vere pronuntiatum ſit ab oraculo Medicinæ eos ad eaſdem referri ſententias, qui de rerum elementis tam longe à ſe invicem diſcedebant.

V.

ITAQUE Hippocrates Medicinam primus à ſtudio ſapientiæ ſeparavit, ne forte Philoſophorum inter ſe contentius tumultuantium clamoribus medica utilitas turbaretur, & everteretur, cui præceptor noſter omnium minime defuit, dum etiam nonnulla obſcure ſcripſit, multa breviter, ſed perperam nihil. Hanc deinde ignoravit, aut tacuit quaſi minus neceſſariam tot facultatum ſuppellectilem, quâ jam uſque ab Hippocratis ætate exornatur ὅλομελιν. Noſtro quidem corpori temperiem partibus ubique ſingulis præfecit, quæ natura; calorem quoque nativum in corde excitavit, qui ab eo anima vocatur, non nimis vere, ſatis tamen Medice. Magnam præterea cenſuit eſſe partium omnium inter ſe conſenſionem, neque has ut pote Aſclepiadarum liberis diu cognitas anatomico ſtylo deſcripſit, neque etiam omiſit; verum omnes continentium, contentarum, & impellentium cenſu complexus, earum pleraſque ſuis commentariis interpoſitas nec obſcure depinxit, ubi ſe morbi dignoſcendi, curandi, ac de eo prædicendi occaſio offerebat. Humanæ etiam procreationis arcanum divinâ quaſi obſcuritate involutum nonne is omnium primus viſus eſt explicare, qui totius corporis, & mundi elementa omnium primus tam ſapienter expoſuit, ut ad omnem medendi prudentiam nihil aliud, vel amplius deſiderari potuerit? Jam ſi quid egregiâ, ac ſolerti poſterorum meditatione ei fuit adjectum, id ipſum forte ad artis dignitatem, & ſplendorem magis, quam ad ejus neceſſitatem erit profuturum.

Eſt igitur Hippocratis Phyſiologia Medico ſatis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius de Saint-Yon, Regis Medicus ordinarius.
M. Claudius de Quanteal.
M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Regis Medicus ordinarius.
M. Franciſcus Vezou.
M. Claudius Puylon.
M. Petrus Bourdelot.
M. Carolus le Breton.
M. Claudius Perrault.

Proponebat Lutetiæ LUDOVICUS POIRIER Richelæus, A.R.S.H. MDCLXXV.

PARISIIS,

Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.